

XI. *Copy of a Letter written by Queen Elizabeth, to Frederick II. of Denmark, communicated by WALTER CALVERLEY TREVELYAN, Esq. of Wallington, to JOHN ADAMSON, Esq. Secretary.*

SERENISSIME Princeps & Frater charissime. Quoniam per nobilem virum, qui has perfert, aut etiam antequam ille in Daniæ Regnum forte venerit, de Scoticæ Reginæ nece famam volaturam suspicamur, ea res quemadmodum gesta sit Serenitati Vestræ vere & fideliter apperendam duximus. Ea Regina in quantis criminibus de necis nostræ non semel sed sæpius iterata machinatione & status nostri euersione deprehensa sit Serenitatem Vestram audivisse non dubitamus. Quod ipsius Reginæ multis literis Secretariorumque eius confessione, multorumque in necem nostram eius mandato coniuratorum testimoniis eulentissime comprobatum est. Ac coniuratos illos, totam illam machinationem statim cum caperentur, atque etiam cum Supplicio traderentur, palam confitentes, debitæ pœnis leges afficerunt.

Reginam vero, vitæ nostræ quotidie struentem insidias, trium Statuum nostrorum auctoritas, quod parlamentum vocant, iustissimo indicio neci condemnavit, qui sæpe nos iteratis precibus defatigarunt, ut eam potius meritæ neci traderemus, quam perpetuo, dum illa viueret, cum eius emissariis de nostra vita dimicaremus, simul etiam plane nobis edicentes, nullam humano ingenio rationem iniri posse qua (illa salua) nos saluæ esse possemus. Eam tamen supplicio tradere propter sanguinis coniunctionem nunquam sustinuimus, ut id fieret in eo duntaxat casu, si tumultus aliquis, aut rebellio, eius Reginæ causa, in perniciem nostram exitata esset. Hoc diploma Secretario cuidam nostro custodiendum

dedimus, grauitè interdicentes ne cuiquam id enūciaret, aut quicquam in ea re nobis non prius consultis egeret. Quod ille prorsus negligens (habita cum consiliariis nostris nonnullis consultatione) præcipiti festinatione, nobis insciis, executioni mandavit, qui tamen nunc ita se excusant, se esse veritos ne nimia nostra clementia nobis ipsis exitium acceleraremus.

Ita præter nostram voluntatem, huius Secretarii temeritate, Regina illa (quanquam quod negari non potest nocentissima) nobis, Deum testamur, nihil tale suspicantibus morti tradita est. Secretarium tamen illum, propter manifestum mandati nostri contemptum, in Turrim coniecimus ut ad amussim tam inexpectati nobis facti rationem reddat.

Quod hiis literis Serenitati Vestræ testari voluimus, non quod vereamur ne huius Reginæ supplicium nobis imputetur, quod et iustissime exequi potuimus, & si periculi nostri duntaxat rationem habuissemus certe debuimus, sed ut rei ordinem verè & sincerè pro Sororio nostro animo intelligeret, nec quicquam nobis in vita hoc uno facto acerbius contigisse. Iterum Deum Optimum Maximum precamur ut Serenitati Vestræ omnia fausta ac foelicia largiatur. Datum ut in literis.

ELIZABETTA, R.

On the Cover:—

SER'mo Principi ac Domino FREDERICO secundo, Dei gratia Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regi, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Dietmartiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst, Fratri, Consanguineo & Amico nostro charissimo.

With the Queen's seal in yellow wax.

Under the address is written:— R. (receptæ) Scanderberb. (urgi)
23 Martii Anno 87.

The original of this letter is preserved amongst the Royal Archives at Copenhagen, and was published in the "Nye Danske Magazin" for 1823, with a fac-simile of Elizabeth's signature.

In a letter from Lord Willoughby to Frederick II. dated London,

March, 4 1587, he speaks thus concerning this event:—" Non est novum, potentissime Rex, quod ante mensem Regina clementissima, a sanguine tantum abhorrens, ut justam ægre sumat vindictam, victa tamen omnium Angliæ ordinum atque universitatis civium suorum & subditorum precibus assiduis, eam jussit exequendam sententiam, quam regni proceres tulerant, & tota gens nostra comprobat, contra nocentissimam Reginam."